



*G. A. 24*  
EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*PF-37*

SIGNAT. *cis 15 CCCXIII.*

DISPUTATIO.  
PSEUDOSOPHIA CACO-  
DOXORUM.

SOBRIA PHILOSOPHI  
ORTHODOXORUM.

Divinis auspiciis

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Excellentissimi, & Clarissimi,  
**DN. JOHANNIS SCHARFI,**  
SS. Theol. Licent. ejusdemq; Professoris Extraordi-  
narii, nec non Logices & Metaphysices ordinarii,  
Patroni, Promotoris, & Præceptoris omni observantiae cultu at-  
tèm devenerandi,

Publicè ventilandæ subjicit

MARTINUS - TARNOCZI Beczkovviâ  
Hungarus.

In Auditorio Majori ad d. 12. Novembr. horis matut.

---

WITTEBERGÆ  
PRÆLO MICHAELIS Wende Anno 1649.

VIRIS  
AMPLISSIONIS,  
CONSULTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,  
AUTORITATE GRAVISSIMIS,  
CONSILIO PERSPICACISSIMIS,  
EXPERIENTIA CELEBERRIMIS,  
JUSTITIA CLARISS. CASSOVIENSIS,  
MAGNIFICARUM RERUM PUB. LEUTSCHOWIENSIS,  
DNN. EPERIENSIS,  
JUDICIBUS ET SENATORIBUS.  
Ut &  
ENEROSA NOBILITATE, REVERENDA DIGNI-  
TATE, AMPLITUDINE, MERITORUM CLARITATE,  
rerum variarum usu & experientia con-  
spicuis, eminentissimis.

Dn. JOHANNI LANG. Civi & Senatori de Republ. Leutschov. be-  
nè merito.

Dn. FRIDERICO Bopst à Sittaw.

Dn. JONÆ MEDNANSKI Præfecto bonorum arcis Trenchin.

Dn. M. JOHANNI WINDISCH Pastori supremo apud Waraliens:  
Præceptor olim fidelissimo.

Dn. JOHANNI Mollnar, Reipubl. Leutsch: dignissimo. *In ecle.*

Dn. SEBASTIANO Zacherl. Civi ac Institutori ibid: celeberrimo.

Dn. CASPARO Escasny/ Avunculo honorando.

Dnn. Patronis, Promotoribus, Fautoribus,  
eternum devenerandis, has primitias  
Philosophicas.

offert atque litas

MARTINUS TARNOZI

Beezkowia Hungarus

*Aut. & Resp.*

Sectio I. Aphoristica VI

# PSEUDOSOPHIA.

## Aphorismus I.

**Philosophia Catodoxorum est perversa.**

**R**ATIO I. Quia terminos fingit præter necessitatem. Patet hoc ex lacunis Scholastico-Jesuviticis, ubi Scotti Hæcceitas, Angelici, D. perseitas, ipseitas, & alia infinita portenta magni applausu defenduntur. *Goclenius in lexic: Philosophic: pag. 626.* Alchymistæ eundem callem calcant, artem suam nescio quibus hieroglyphicis (ut Romani DEUM TUTELAREM) occultantes. Mysterium magnum muniam (materiam primam) mysterium Specificum, (quod extrahunt ex mistis, & contradistinguunt quintæ essentiæ,) essatum (pro eo quod habet essentiam) vocant. Rolandus in lexic: . His annumerandus Thomas Jordanus Medicus, qui vim alterantem (ossicondam) cartilaginum procreaticem, (cartilagicram) appellat. *Zwingerus in schol: l. i. c. i.* Sic Zanarolus de Elem. qu. 6. v. 16. caliditatem vocat alleviativam, remolitivam, discolorativam *Clariß: Sperling: lib. 4. Instit. p. 709.*

II. Eosdem innovat. Documento sit parum tersus (hoc est Petrus Ramus) hic antecedens pro subjecto, consequens pro prædicato usurpat, *Excellentissimus Dn. D. Jacobus Martini in discussionibus Ramisticis l. 2. q. 3. p. 648.*

III. Perversè explicat. Disparata pro oppositis propriè sic dictis accipienda volunt Ramicolæ. *Excellentissimus Dn. D. Jacobus Martini in discussionibus Ramisticis l. 1. c. 13.* Sic Duonamus *Διάνοιαν* omnem commentarym significare notat. Idem in *discussionibus Ramisticis lib. 2. c. 9.* Sociniani morosi Philosophi *τὸ reale per essentialē explicant.* *Excellentissimus Dn. Praes in Metaphys: exemplari l. 1. c. 1.* Tannerus in colloquio Ratisbonensi suppletionem per negationem interpretatus est. Videatur *Processus Disputandi Excellentiss: Dn. Presidis. c. II. p. 336.*

A 2

IV. Ma.

IV. Malè applicat. Evincit hoc praxis Jesyvitarum, Calvinistarum, & Photinianorum. Æmuli Ignati sui abutuntur termino mutationis in loc. de S. Cœna, quia Patres eos usi. Hinc μετργίας suam monstruosam stabilire magno molimine allaborant. *Costerus in Encbirid.* Verùm talparum progenies sciat Patres Sacramentalem, non Essentialē mutationem intellexisse. *Chemnitius part. 2. exam. pag. 141.* *Dietericus loco de S. Cœna pag. 797.* Eundem errorem errant fratres non fratres Lutheranorum abutentes termino αὐτοῦ in loco de Providentia & Prædestinatione, ut improbis peccandi necessitatem injiciant, & decreto reprobationis eos subjiciant. *Calvinus l. 3. Institution. c. 23. §. 9.* *Beza in Colloquio Mompelgartenſi pag. 591.* *Bucanus l. 14 p. 36.* Sic τὸ σημεῖον in loco de S. Cœna abutuntur coeci duces. *Scheibl: l. 1. Metaph. c. 14. art. 6.* De quibus fusius videantur Theologi. Loquitur aphorismus de Philosophia in concreto, sive ratione existentiæ; non in abstracto, sive ratione essentiæ.

### Aphorismus II.

*Philosophia cicadarum Apocalypticarum est  
superstiosa καὶ ταῖς περιτολογίαις involuta.*

Ratio I. Quia ariolorum sapit divinationes ac observatio-  
nes, magicasq; incantationes. Somniant μυεροπεχνίται suffitibus,  
cruci, agno, sali, reliquiis Sanctorum, vesti Francisci, inesse  
quandam ἐνέργειαν. Vide fulmen brutum. Item Ritterum in flo-  
ribus historicis p. 314. ubi vivis (quod ajunt) coloribus μωεγλογίαιas  
Papisticam pingit. Putant si vox NICASIUS chartæ adscriba-  
tur, & quatuor angulis domus applicetur, omnes mures eā domo e-  
gressuros. Notoriam artem (cujus ope nefariā instantaneam pol-  
licentur eruditionem discenti) profiteri Papistas testis est *Scotus*  
*in Margaritā Philosophicā in practicis.*

II. Quia fabulosa, & gerris Siculis depravata.  
Ab ovo quod ajunt ordinar rem. In Philologicis commenta Cre-  
tensis evomunt. Curiam à crurore, Presbyterum, quasi præ aliis  
ter bibentem, derivant. *Meisnerus part. 2. sobr. Philosoph:* Ex voce  
נַחַן per Notarikon Cabballisticum, tres principes eliciunt. נַחַן  
adam.

dam. **I** David, **D** Messias. *Alsted. tom. 1. Encyclopæd. pag. 138.* In Rheticis ajunt Rheticam, tales esse artem, quam si quis callet, à nemine intelligatur loquens, vel scribens. V. gr. Liquor Lyæus Anticyris non est gustandus, id est. Vinum à furiosis nō est bibendum. In Logicis, meras sophistificationes neantur. Martinus Navarrus scripsit integrū tractatum de æquivocationibus, quem Societati Jesu dedicavit. *Et Sylvanus Jesuita in sua Philippica ait, Äquivocatione uti, & audiētē decipere licet. Alsted. tom. 4. Encyclopæd. c. 16. p. 1. 3. 20.* In Physicis steriles & muliebres rationes habent. De platessa cur os incurvatum habeat, & de Lucio, cur crucem in capite? Respondent: Illam ideò quod Mariæ in littore maris obambulant, & eam placidè alloquenti (mea platessa ades dum) os obverteret: hunc crucem in capite habere, eò quod Francisco concionanti in littore maris, assiduum & fidelem auditorem se præberet, reliquis præternatantibus. Hanc ob causam lucio in Jejuniis suis hypocriticis utuntur. O quam speciosæ rationes purgatorio Pontificio dignæ! Plures nugas in Physicis fovent. Solem die Paschatos saltare, stellas de cœlo cadere, cum Epicuro rasi imperiti credunt. Item: Mundum senescere, *Vide Schwenterum in deliciis Mathemat: in prolog:* In Metaphysicis prodigiosos terminos fingunt, quos à Scholasticis sunt mutuati. In Astronomicis cœlum aliquot parasangis ad nos esse inclinatum: hodiè plures fieri Eclipses quam olim. Ex Sphæra Lunæ Gabrielem descendisse ad Mariam, & interea Solem suā virtute orbem Lunæ movisse tradit Cardanus, quem castigat *Scaliger exerc. CCCLXI.* In Astrologicis multa prognostica ex tredecim diebus, qui antecedunt, & sequuntur natalem Domini depromunt, sicq; ex iis de tempore totius anni judicant. Huc pertinet varia Sortilegia, quæ nocte Nativitatis observantur. *Schwenterus in deliciis Mathemat:* Non erubescunt Creatorem astris subjecere, nam Petrus de Aliaco Ben thema genethliacum Christo erexit. *Meelführer in Vindicia Evang: disput. de Nativitate Christi thes. 4.* Cardanus Mundo horoscopum erexit teste Pererio. In Chronologicis urgent tanquam necessarium 25. Martij Mundum esse creatum: eodem die Adamum lapsum, Abelem occisum, Christum, passum Mundum interitum. In Historicis legenda

Sanctorum technas eorum quibus ludunt homines, prodit.  
De Longino milite, qui lancea transfodit latus Christi multa  
proferunt, pauca probant. In Ethicis, virtutem in vitium Papico-  
lae mutant docentes: In cœlibatu vivere, & scortari esse virtutem;  
sed in conjugio legitimo vitam transigere esse scelus nefandum, ut  
Phygius & Eccius volunt. Idem statuit *Tacius teste Clemente Alexandrino lib. 3. Stromatum*. In Politicis Simulare & dissimulare cum  
Machiavello docent. *Casus in Sphaera Civitatis l. 1. c. 1. pag. 3.* Hære-  
ticis non esse fidem servandam urgent contrajus Gentium. In Ge-  
ographicis. Ad κύριας δόξας Geographorum ut Marpesiam rupem  
se alligari patiuntur, sicq; libertatem Philosophicam vendunt. In  
Hybernia purgatorium (ὑπὸ ὄντος) esse statuunt. *Vincentinus libro Hi-  
stor. c. 20. Albertus Krantzius l. 2. c. 24.* Vide Simonem Majolum in die-  
bus canicularibus tom. 1. pag. 548. Idem purgatorium in monte Æt-  
na ponit tom. 1. pag. 518. Rationem addit ex Solino l. 3. c. 106. quia  
Ætna semper ardet ignibus. Ex *Oros. l. 5. c. 10.* In Pneumaticis sta-  
tuunt animas post mortem esse visibles, non ex se, sed ex opera-  
tione DEI, sicq; vagari in Mundo. *Majolus tom. 1. c. 2. pag. 55. Kra-  
ntzius lib. 2. c. 24. Thomas p. 1. sum. 9. a. 8.* Succubos & incubos  
dari dœmonas qui generant homines. Majolus Pontificius pro-  
bat tom. 1. c. 2. *Sylvius de Strig: l. 2. c. 11. Vincentius Specul. nat. l. c. 127.*  
*Sixtus Senensis Biblioth. sacr: l. 5. annot. 73.* Peplo silentii involvam  
Theologiam, in quam injuriosi sunt hæresiarchæ, dum miro ar-  
tificio dogmata sua enucleant. V. gr. Illud Gen. 1. Creavit Deus  
duo luminaria magna Solem & Lunam, ita explicant: Solem [id  
est Papam] Lunam, [id est Imperatorem Romanum] *Vide Glass:  
in Philolog: sacr:* Sic illud I. Reg. 17. Corvi attulerunt carnem Eliæ,  
ira enodant: Corvi [id est Seculares] attulerunt [id est donave-  
runt] carnem [id est pingues præbendas] Eliæ, [id est Monachis].  
Et illud Psalmi 8. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & bo-  
ves, & pecora campi, volucres cœli & pisces maris: Sic dilucidant.  
Omnia subjecisti sub pedibus ejus [id est Papæ] oves [id est Chri-  
stianos] boves [id est Judæos] pecora campi [id est Paganos] vo-  
lucres cœli [id est animas beatorum] & pisces maris [id est animas  
quæ sunt in Purgatorio] videatur Schimidius in omni habitu in Aca-  
demi-

demico Jubileo. Quæ alibi æstimari rectius solent. Hæc est illa speciosa, ac erudita Philosophia, quam ignavi fuci in suis cœnobiis exercent.

### Aphorismus III.

*Philosophia Cœnobitarum, Pantomorum,  
& Morosopistarum est, ridicula doξος Φία νὴ<sup>τη</sup>  
doξουανια referta.*

Ratio I. Quia quæstiones spinosas & inutiles movet. Myriades'futilium quæsitorum occurunt, apud Thomam part. i. sum: 4. i. a. 2. Apud Scotum l. 3. d. 30. q. a. 2. Apud Bielem l. 3. d. 20. Apud Lombardum l. 1. Sint exemplo universalia. De quibus variæ opiniones circumferuntur. Pro his Occamistæ, tanquam aris & focis pugnabant, statuentes esse nuda ὄντα. Econtra Scotistæ stuebant universalia esse τὰ πεάγματα Goclen. in lexic. Philosoph. p. 757. Posterioribus calculum suum apponit Scaliger. Exercit. CCCVII. Scholasticorum vestigiis insistit Cardanus, subtilia plurima movens; sed pauca utilia, quem Magister subtilitatum falsè ridet. Excert. CLXX. & alibi. Ejusdem tenoris sunt, quæ Hispanus in parvis Logicalibus habet, de obligationibus, insolubilibus fol. 128. Alii insanentes querunt. An hæc propositio sit possibilis: DEUS PATER ODIT FILIUM SUUM. Item. An hæc tam sit possibilis. Deus est Sacraeus aut cucurbita, quām illa: Deus est homo. His ὄμόφιοι sunt Pantomomi, quibus ratio instar filii Thesei est in divinis. De Cœlo Empyreo cum cohorte Romana multa evomunt, & αὐτεθεούσια. Alsted. in distinction. Theol. c. 32. d. 7. & 9. Thomas q. 66. a. 3. Hos & similes Dn. Excellent. Præses in processu disputandi obs. 7. p. 83. cum Stagirita flagris dignos judicat esse. Vide August. l. 2. de serm. Dni.

II. Quia quadrata rotundis mutant. Ut constat ex Colloquio Ratisb. & Mompelg. Hunnius in paradox. Jesuit. part. 3. & 6. Item in relatione historicâ ejusdem colloqui p. 321.

III. Quia auram popularem captat. Ostendit id ipsum ὄφαλος φανερῶς D. Hunnius in triumpho Tanneri c. 7. pag. 557. Item in catalogo absurdorum abs. 3.

Aphor.

## Aphorismus IV. Philosophia fecis Romanæ & Zwinglia- na est fraudulenta.

Ratio. Quia è suo cerebro, non è naturæ gremio οὐδὲ  
promit cum tamen σοφία & τέχνη è latifundio naturæ sint hau-  
rienda Piccolom. in civili Philosoph. c. 18. p. 34. Aristoteles in princip.  
lib. Elench. Versipellem genium produnt libri ipsorum, in quibus  
quasi penicillo Canonum, distinctionum, explicationum, deprava-  
tio adumbratur. Kekermannus in system. Log. l. i. c. 13. dicit: Pro-  
pria nequeunt communicari. Et alibi: Uno propriorum com-  
municato, communicantur omnia, Sic Photiniani hoc effatum ef-  
futiunt, cum malâ applicatione: Essentia est incommunicabilis  
Goslavius contra Kekerman: pag. 2, 85, 86, & 87. Quæ omnia ad nor-  
mam Scripturæ & Naturæ examinata in fumos abeunt. In distinc-  
tionibus fingendis, non minus ineptiunt. Tò latè & strictè ad o-  
mnes materias applicant Vide Conciliat. Philosoph. Goclen. in præ-  
fatione. Ubi distinctiones numero multæ, valore paucæ citantur.  
Item. Henrici Castanei distinctiones Philosophicas. Hos & alios  
ineptientes solidè refutat Excellentiss. Dn. Praeses in processu disputandi  
cap. 10. de instantiis p. 283. Ubi monet rejiciendas illas distinctiones,  
quæ nullum fundamentum habent in re: vel quæ involvunt con-  
tradictionem manifestam, qualis est illa inter NIHIL positivum  
& privativum. Et Jesuitarum inter certitudinem conjecturalem, &  
evidentem. Item inter justificationem primam & secundam in  
loc. de Justif. Sed evertit hanc distinctionem D. Balduinus in Comm.  
superepist. ad Rom. c. 3. Èdem chordâ cum Jesuitis oberrat Buca-  
nus distinguens inter æqualiter & aliqualiter. Dicit, Christum sede-  
re ad dexteram patris juxta divinitatem æqualiter, juxta humani-  
tatem verò aliqualiter in l. c. pag. 260. Sic Goclenius in loc. de Cœna  
Domini distinguit inter partem & partis partem. Hinc δέ τοι λαοῖς  
non dicitesse Eucharistiæ partem; sed partis partem. In Lex. Philos.  
p. 7. & 9. Non minus exceptiones vanas effingunt, ut videre est  
apud Bellarminum l. de Justif. c. 2. Item apud Coster. Calvin:  
Schmal-

Schmalcium: verūm omnes vix cassā nuce sunt dignæ, quia à Spis  
ritu vertiginis sunt profectæ, qui veritatem opprimere studet. Nec  
in Scriptura sunt fundatæ.

Aphorismus V.

*Philosophia Esavitarum & Carnalistarum est  
pernicioſa.*

Ratio. I. Quia pro principio Religionis venditatur Alsted.  
tom. i. Encyclop. c. 6. & 7. exprefſè dicit: Recta ratio potest esse prin-  
cipium Theologiae. Idem reliqui grunniunt; verūm sententiam  
suam fatis munire nequeunt...

II. Quia ad evertendam αληθειαν ab illis excolitur & adhi-  
betur τω̄ λέγω̄ ηδὶ ἔργω̄.

III. Quia divinis oraculis præfertur à Calvino Angelopoli-  
tano, Petro Bembo, & aliis. Quæris causam hujus rei? Accipe:

Hæc est crede mihi cunctorum causa malorum,

Scripturas Domini non didicisse sacras.

Sectio II. Axiomatica.

De

Sobria Philosophia Orthodoxorum.

Axioma I.

*Philosophia Sobria autorem agnoscit Deum, normam naturam,  
fundamentum Zepyra Scaligeriana, Scopum veri-  
tatis scrutinum.*

Ita σοφῶς & σοφῶς Spiritus Domini, ac veneranda canities  
priscoruit, iuxta corona florentissima neotericorum uno ore sta-  
tuunt. Primum membrum confirmat divinum testimonium Jaco-  
bic cap. 1. Omne bonum est à Patre lumen. Partim humanum.  
Hinc Petrus Martyr inquit: Philosophia est habitus mentibus hu-  
manis à Deo concessus, ut ad felicitatem [intellige Philosophicam  
non Theologicam] perveniant. Goclen. in concil. Philosoph. q. 3.

Secundum membrum ostendit Zabarella lib. 1. Apolog. c. 11.  
Scheibler: l. 1. Metaph. c. 25. p. 386.

Tertium membrum evincit Scaliger. l. 3. Poët. c. 17.

Quartum membrum demonstrat Melanchthon. l. 4. Dialect. Et

B

divi-

divinus Plato in Phædro inquiens: Φιλοσόφας δέ οὐκ εἰσίν θεοί  
ναὶ τὸν δύνατον αὐθεόπω. Opponimus hoc axioma Anabaptistis,  
qui Philosophiam in se consideratam Theonino dente arrodunt  
*Scheibl. in proœmio Metaph. p. 14.*

### Axioma II.

*Philosophia Sobria facit ad cognitionem Dei naturalem, & reli-  
quas innatas notitias excolendas; minimè verò ad inge-  
nerandam & preparandam fidem.*

Ratio I. Quia per hanc virtutes intellectuales & morales  
suam perfectionem sortiuntur. Illæ per theoreticam; hæ per pra-  
cticam. *Aristoteles lib. 2. Ethic. c. 56. Alsted. tom. 1. Encyclop. l. 3. c. 7. p. 87.*

II. Quia cognitio Dei confusa hauritur ex natura. Videatur  
*Graverus diss. r. de Deo qu. 1. th. 2. pag. 6.* Intelliges axioma de per-  
fectione accidentalí, non essentiali. 2. De notitia confusa, non di-  
stincta. Hoc effatum opponimus Pelagianis, qui asserunt Philo-  
sophica studia, homines præparare ad fidem. *Vide Ontologiam  
Calovij lib. 1.*

### Axioma III.

*Philosophia sobria propriis, non alienis oculis fin-  
gula lustrat.*

Ratio, Quia periculose sunt niti narrationibus & autorita-  
tibus alienis. Sunt autem proprii oculi Sensus, Experientia, & re-  
cta ratio, Hinc illud λόγος πάντες νοῦς προσλήψεις [ id est antici-  
pata notitia, sunt critiria examinandæ veritatis. *Gocl. in concil. Phi-  
los. th. 8. p. 7.* Quare narrationibus, autoritatibus, non credendum;  
Sed rationibus cum experientia conjunctis. Non enim **Qui** sed  
**Quid** dicatur, attendendum. Sic Paracelsus Koboldos [ id est Spi-  
ritus in stirpe lignorum, sive in alio loco occultiori ædium habitan-  
tes, & Patrifamilias ministrantes] ad speciem humanam retulit, sed  
sine fundamento, non enim constant corpore propriè sic dicto, &  
anima rationali. Ergo non sunt homines. Ita ratio recta & expe-  
rientia refutat Paracelsi opinionem. *Majolus in dieb. canic. th. 3. c. 2.  
pag. 130.* Sic Plinius lib. 8. c. 21. dicit: Basiliscum intuitu occidere  
hominem. Verum Philosophia sobria id non admittit. Visio enim  
est

est accidentis. At accidentis non interimit substantiam puta solitum; sed cum corpore conjunctum. Idem lib. II. c. 12. Ex aere mel cadere super flores sentit, quod apes colligunt, & in alvearia transportant. Sed experientia reclamat, & opponit se Plinio. Constat enim ex salice, pomis, pyris, apes succum extrahere, sicq; mellificare. Observa nos loqui de ratione recta; non fraudulenta. 2. De experientia Philosophica, non rustica. 3. De autoritatibus non nudis, sed cum recta ratione conjunctis. Hoc axioma opponimus Philosophis alieno judicio ὀλικῶς mancipatis.

#### Axioma IV.

*Philosophia sobria σοφείας necessaria ponderat, non necessaria sequestrat: utilitatem Philosopicam; non jucunditatem Sibariticam pensat.*

Id præstat, quia Sapientiae & Prudentiae munia sunt [ex quibus Philosophia constat] veritatem contemplari, ac bonum operari Pererius lib. I. de Philos. c. 2. Quare non est sollicita de aliorum opinioribus, paradoxis, adoxis, ut sunt: μεταψύχωσις Pythagorica, παντεργία Anaxagorica, αὐτοκηνητής καὶ ἐπελέχεια Aristotelica, Φυχὴ κοσμικὴ Platonica, Calcodea Averroïca.

Hæc inquam σοφία sincera Spongiis deletilibus committit, & suum pensum exercet τῷ τῷ πεάγματα, ea scrutando & examinando: Γὰρ πάμπα nominalibus Philosophis, τῷ νοήματι conceptualibus relinquendo, qui distinctiones, limitationes multas citant, res & earum applicationes ignorat. Hoc axioma opponimus Philosophis curiosis quos solidè refutat Excellent. Dn. Praeses in processu diss. c. 2. obs. 4. pag. 73.

#### Axioma V.

*Philosophia sobria in Theologicis non audienda est ut Ptolomela; sed ut rana.*

Ratio sumitur à relatis, quia ministra debet subjecta esse heræ. Quare in Controversiis fidei non attendenda ratio; sed Spiritus S. in verbo revelato locutio & informatio. Hinc Augustinus ep. 7. ad Marcell. Si ratio inquit contra Scripturarum divinarum rationem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; Hoc axioma opponimus Pantomomis & Cæsophas.

Prae-

Præstantissimò atq; Literatissimò

Dn. Respondenti.

Sic benè sic cautè sophicas grassaris in artes  
lit spretis nebulis, pondera vera notes.

Verborum lusus, rixas contemnis inanes

Scilicet è nucleo qui preciosa legis.

Perge vel ut pergis, Pbœbus tibi præmia spondet

Ungaridum fies, gloria, magna, decus.

Gratul.appoperab.

JOHANNES SCHARFIUS

Licent. Prof. P.

ΜΑΡΤΙΝΟΣ ΤΑΡΝΟΓΣΗ

Δ pro T. posito,

fit

Anagramma:

ΤΡΑΝΟΣ ΔΟΓΜΑ ΡΙΝΗΣ.

Ηερκλέης ὥποτε Αεκαδίνες Στυιφαλίδας ἔσθεν  
ουσαδζ, πόπλων χαλκοφανίων παταγίων:  
Πλωίδας ὄρνιθας ὡς βάλλεις, (σύτ' εχάρημιμ,)

ΤΡΑΝΟΣ τῶν μάσων ΔΟΓΜΑ ΡΙΝΗΣ χάρισν.

Ηερκλείη απόδην μένε δόξαγε, (ταῦμα ἰδεάζ)

Κέντρον τῆς δρεπῆς, Πάτερδόθ οὐ Φερούνη.

ἐν Φημίας ἐνεκά

app;

Jobus ZABELE RUS Leucovvia

Hung: contub: & ΕΠ

A Uricomam pellem juvenes vexere Pelasgi;

Sic tua Parnassi, vellera scripta vehunt.

Proposito cœptō Deus addat vela secunda,

Tangere quo portum firma carina queat;

gratulabundus vovet.

GEORGIUS CRAMERUS Sempronio

Hungarus.

Ung. VI 34



3

Slc.


V317





# Farbkarte #13

B.I.G.	Black
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



18  
CONSULTATIO  
PHIA CACO.  
ORUM.  
ILLOSOPHI  
OXORUM.  
auspiciis  
RESIDIO  
RI  
cellentissimi, & Clarissimi,  
IS SCHARFII,  
mq; Professoris Extraordi-  
Metaphysices ordinarii,  
oris omni observantia cultu at-  
encandi,  
andare subjicit  
RNOCZI Beczkovviâ  
garus.  
12. Novembr. boris matut.  
EBERGÆ  
Is Wendt Anno 1646.